

hibitâ particulâ lucente, granum hordei vix superante illitâque chartâ, luminibus remotis, literas minutionis formæ legere conatus est, adstante me, & pedibus calcato grano pavementum adurente.

§. XIII. Jam ad multiplicabilem naturam ejus explicandam transeo. *Bartholomæus Anglicus* omninò intellexit, undecunq; hauserit, quæ dudum suo memoravit avo, 8. de propr. rer. c. 40. *Lux est substantia summè simplex, summè multiplex in efficacia, summè MOBILIS* (*nobilis mendosè typhotheta alibi subjecit*) *absolute penetrationis, omnis naturalis motionis principium & origo; summè perfectibilis, summè jucunda, summè communicabilis.* Itemq; *Lux est maximè mobilis, incessanter movens se, Lux se multiplicat gignendo. Gignit namq; lux lucem; & lux genita simul gignit lucem sibi succedentem.* Nihil luce purius; & quæ sequuntur. Res mirabilis profectò, ab exiguæ quantitatis grano scrupulo vé innumeras scintillas stellulasq; propagari in pariete, pavimento, chartâ, tabulâ. In tot dispergi minima nec aquæ possunt, nec liquores ulli, in quot particulas lucentes, aliasque iterùm gignentes, Phosphorus perpetuus. In lentis exiguitate sumtum frustulum, extremoque digito, aut minore instrumento aptè illitum objecto, literas serpentes, mobiles, hûc illûc salientes, micantesq; stellas efficit, ut spatiosum impleatur inde hypocaustum. Lepidum quid enarrabo: *Convenerant tres Per-illustres Gratie, sorores-Virgines, & inter eas junior Virgilio Deiopejam formâ superans, in habitatione Principali.* Post ludicrum honestum parabatur aliquid amœni. *Remota candela, pyrobola projecta magica, delineata literæ, effigiati ductus.* Tota tabula resplendescibat. *Accedebat fortè aliquis ex Equestri ordine præcipuus, sanguineus, ut videbatur.* Jam quid fecerit, attende. *Affricabat mense manus atque illustrabat totas, nuncque labellorum purpure, nunc roseo genarum pari, nunc albicantibus papillis & sororiantibus his follibus lucentes (non urentes) imprimebat flammulas; quidni Cupidines?* Novit ænigma & solvet, qui hæc observavit verè gesta, mihi que adstitit à latere Vir Generosus Strenuusque & amator summus literarum doctorumque celebris Patronus, Dominus

C

Joban.